

causis procedere, sicut quod ignis calefacit, aqua vero infrigidat: unde crediderunt quod hic processus a contrariis effectibus in contrarias causas non deficiat usque ad prima rerum principia. Et quia omnia contraria contineri videntur sub bono et malo, in quantum contrariorum semper unum est deficiens, ut nigrum et amarum; aliud vero perfectum, ut dulce et album: ideo aestimaverunt quod prima omnium activa principia sint bonum et malum.

Sed manifeste defecerunt in considerando contrariorum naturam. Non enim contraria omnino diversa sunt, sed secundum aliquid quidem conveniunt, secundum aliquid autem differunt. Conveniunt enim in genere, differunt autem secundum differentias specificas. Sicut igitur contrariorum sunt contrariae causae propriae, secundum quod specificis differentiis differunt; ita eorum oportet esse unam causam communem totius generis, in quo conveniunt. Causa autem communis prior et superior est propriis causis particularibus. Quanto enim est aliqua causa superior, tanto virtus ejus major est, et ad plura se extendens. Relinquitur igitur contraria non esse prima rerum activa principia, sed omnium esse unam primam causam activam.

CAPUT XVII.

Quod omnes substantiae separatae sint a Deo productae.

Quia igitur ostensum est quid de substantiis spiritualibus praecipui philosophi Plato et Aristoteles senserunt quantum ad earum originem, conditionem naturae, distinctionis et gubernationis ordinem, et in quo ab eis alii errantes dissenserunt; restat ostendere quid de singulis habeat christianae religionis assertio. Ad quod ostendendum utemur praecipue Dionysii documentis, qui super alios ea quae ad spirituales substantias pertinent, excellentius tradidit.

Primum quidem igitur circa spiritualium substantiarum originem firmissime docet christiana traditio, omnes spirituales substantias, sicut et ceteras creaturas, a Deo esse productas: et hoc quidem canonicae Scripturae auctoritate probatur. In Psalm. enim 148, 2, dicitur. "Laudate eum omnes Angeli ejus, laudate eum omnes virtutes ejus;" et enumeratis aliis creaturis subditur: "Quia ipse dixit, et facta sunt: ipse mandavit, et creata sunt." Sed et Dionysius, 4 capit. caelestis Hierarchiae hanc originem subtiliter explicat, dicens: "Primum illud dicere verum est, quod bonitate universali superessentialis Divinitas, eorum quae sunt, essentias substituens, ad esse adjunxit;" et post pauca subdit, quod "ipsae caelestes substantiae sunt primo

et multipliciter in participatione Dei factae;" et in 4 capit. de divinis Nominibus, dicit, quod "propter divinae bonitatis radios substiterunt intelligibiles et intellectuales omnes substantiae et virtutes et operationes. Propter istos sunt et vivunt, et vitam habent indeficientem." Quod autem a Deo immediate productae sint omnes spirituales substantiae, et non solum supremae, expressit in 5 capit. de divinis Nominibus. "Sanctissimae, inquit, et providentissimae virtutes existentes, et sicut in vestibulis supersubstantialis Trinitatis collocatae, ab ipsa et in ipsa et esse et deiformiter esse habent, et post illas subjectae," idest inferiores supremis, "subjecte," idest inferiori modo, esse habent a Deo, "et extremae," idest infimae, "extreme," idest infimo modo, "sicut ad Angelos, sicut ad nos autem supermundane." Per quod dat intelligere, quod omnes spiritualium substantiarum ordines ex divina dispositione instituuntur, non ex hoc quod una earum causetur ab alia. Et hoc expressius in 4 capit. caelestis Hierarchiae: "Sane est," inquit, "omnium causae et super omnia bonitatis proprium ad communionem suam ea quae sunt vocare; sicut unicuique eorum quae sunt, ex propria definitur analogia: unamquamque enim rem constituit in ordine qui competit suae naturae."

Similiter etiam christianae religioni repugnat quod spirituales substantiae ab alio et alio principio habeant bonitatem et esse et vitam, et alia hujusmodi quae pertinent ad earum perfectionem. Nam in canonica Scriptura uni et eidem Deo attribuitur essentia bonitatis, et quod sit ipsum esse. Unde dicitur Matthaei 19, 17: "Unus est bonus, Deus." Quod autem sit ipsum esse, patet: nam Exodi 3, 14, quaerenti Moysi quod esset nomen Dei, respondit Dominus: "Ego sum qui sum;" et similiter quod sit ipsa viventium vita: unde dicitur Deuter. 30, 20: "Ipse est enim vita tua." Et hanc quidem veritatem expresse Dionysius tradit 5 capit. de divinis Nominibus, dicens, quod sacra doctrina non aliud esse bonum dicit, et aliud existens, et aliud vitam aut sapientiam; neque multas causas, et aliorum alias productivas Deitates excedentes et subjectas. In quo removet opinionem Platonicorum, qui ponebant quod ipsa essentia bonitatis erat summus Deus, sub quo erat alius Deus, qui est ipsum esse, et sic de aliis, ut supra dictum est. Subdit autem: "Sed unius," scilicet Deitatis, dicit "esse omnes bonos processus," quia scilicet et esse, et vivere, et omnia alia hujusmodi a summa Deitate procedunt in res. Hoc etiam diffusius explicat in 2 capit. de divinis Nominibus, dicens: "Non enim substantiam quamdam divinam aut angelicam dicimus per se esse, quod est causa quod sint omnia. Solum enim quod sint existentia, et ipsum esse supersubstantiale," scilicet summi Dei, "est et principium et substantia et causa." Principium

quidem effectivum, substantia autem quasi forma exemplaris, causa autem finalis. Subdit autem: "Neque vitae generativam aliam Deitatem dicimus, praeter superdivinam vitam, omnium quaecumque vivunt, et ipsius per se vitae causam, quae scilicet formaliter viventibus inhaeret: "neque colligendo dicimus principales existentium et causativas substantias et personas, quas deos existentium, et creatores per se facientes dixerunt. Ad hanc etiam positionem excludendam signanter Dionysius "ab essentiali Dei bonitate, quam Platonici summum Deum exponebant, dicit: "in substantiis spiritualibus procedere quod sunt et vivunt et intelliguntur: et omnia alia huiusmodi ad earum perfectionem pertinentia ab ea sortiuntur. Et idem etiam replicat in singulis capitulis, ostendens quod ab esse divino habent quod sunt, et a vita divina habent quod vivunt, et sic de ceteris.

Est autem christianae doctrinae contrarium, ut sic dicantur spirituales substantiae a summa Deitate originem trahere, quod fuerint ab aeterno, sicut Platonici et Peripatetici posuerunt; sed hoc habet assertio catholicae fidei, quod coeperunt esse postquam prius non fuerant; unde dicitur Isaiae 40, 26: "Levate in excelsum oculos vestros, et videte quis creavit haec, scilicet superiora omnia: et ne intelligeretur de corporalibus solum, subdit: "Qui educit in numero militiam caeli. Solet autem sacra Scriptura nominare militiam caeli spiritualium substantiarum caelestem exercitum propter earum ordinem et virtutem in exequendo voluntatem divinam unde dicitur Lucae 2, 13, quod "facta est cum Angelo multitudo caelestis militiae. Datur igitur intelligi, non solum corpora, sed etiam spirituales substantias per creationem de non esse in esse fuisse eductas, secundum illud Rom. 4, 17: "Vocat ea quae non sunt tamquam ea quae sunt. Unde et Dionysius dicit, 10 capit. de divinis Nominibus, quod "non omnino et absolute ingenta et vere aeterna ubique sacra Scriptura nominat aeterna; sed incorruptibilia et immortalia, et existentia eodem modo, scilicet nominat aeterna; sicut quando dicit (Psalm. 23, 7): "Elevamini portae aeternales, et similia, quod maxime videtur de spiritualibus substantiis dictum: et postea subdit: "Oportet igitur non simpliciter coaeterna Deo, qui est ante aevum, arbitrari aeterna dicta. Sed sacra Scriptura in Genesi loquens de principio creationis rerum, de spiritualium substantiarum productione expressam mentionem non facit, ne populo rudi, quibus lex proponebatur, idolatriae daretur occasio, si plures spirituales substantias super omnes corporeas creaturas introduceret sermo divinus.

Non potest etiam ex Scripturis canonicis expresse haberi, quando creati fuerint Angeli. Quod enim post corporalia creati

non fuerint, ratio manifestat, quia non fuit decens ut perfectiora posteriora crearentur; et etiam ex auctoritate sacrae Scripturae expresse colligitur: dicitur enim Job 38, 7: "Cum me laudarent simul astra matutina, et jubilarent omnes filii Dei, per quos spirituales substantiae intelliguntur. Arguit autem sic Augustinus, 11 de civ. Dei (cap. 9): "Jam ergo erant Angeli quando facta sunt sidera; facta sunt autem quarto die. Numquid nam ergo tertio die factos esse Angelos dicimus? Absit. In promptu est enim quid illo die factum sit, ab aquis utique terra discreta. Numquid nam secundo? Ne hoc quidem: tunc enim firmamentum factum est. Et postea subjicit: "Nimirum ergo si ad ista opera Dei pertinent Angeli, ipsi sunt illa lux quae diei nomen accepit. Sic igitur secundum sententiam Augustini simul cum corporalibus creata est spiritualis creatura, quae significatur nomine caeli, cum in Gen. dicitur: "In principio fecit Deus caelum et terram. Formatio autem ejus et perfectio significatur in lucis productione, ut multipliciter prosequitur in lib. super Genesim ad litteram. Sed, ut Damascenus dicit in 3 lib., quidam ajunt quod ante omnem creationem, scilicet corporalis creaturae, geniti sunt Angeli: quia, ut Gregorius Theologus dicit, primum excogitavit angelicas virtutes et caelestes, et excogitatio ejus opus fuit. Et huic sententiae ipse Damascenus consentit. Sed et Hieronymus praedicti Gregorii Nazianzeni discipulus eandem sententiam sequitur: dicit enim super epistolam ad Titum: "Sex millia necdum nostri temporis implentur annorum; et quantas prius aeternitates, quanta tempora, quantas saeculorum origines fuisse arbitrandum est, in quibus Angeli, Throni et Dominationes, ceterique ordines servierunt Deo absque temporum vicibus atque mensuris, et Deo jubente substiterunt? Neutrum autem horum aestimo esse sanae doctrinae contrarium: quia nimis praesumptuosum videretur asserere tantos Ecclesiae Doctores a sana doctrina pietatis deviasse. Nam sententia Augustini magis videtur competere sententiae eorum qui ponunt in rerum productione non fuisse temporis ordinem secundum numerum dierum senarium, quos Scriptura commemorat; sed illos sex dies refert Augustinus ad intelligentiam angelicam sex rerum generibus praesentatam. Sententia vero Gregorii Nazianzeni, Hieronymi et Damasceni convenientior est secundum eorum positionem qui ponunt in rerum productione successionem temporis secundum sex dies praedictos. Si enim creaturae non fuerunt omnes simul productae, satis probabile est creaturas spirituales omnia corpora praecessisse.

¹ Ita Augustinus. Al. ipsi enim.

Si vero quaeratur ubi creati sunt Angeli, manifestum est quod quaestio ista locum non habet, si creata est spiritualis substantia ante omnem creaturam corpoream, cum locus sit aliquid corporale; nisi forte pro loco accipiamus spiritualem claritatem, qua illustrantur a Deo. Unde Basilius dicit in 2 Hexamer.: "Arbitramur quod si fuit quidpiam ante institutionem sensibilis hujus et corruptibilis mundi, profecto in luce fuit. Neque enim dignitas Angelorum, nec omnium caelestium militiae, vel si quid est nominatum, aut etiam inappellabile, aut aliquid rationalis virtus, vel ministrator spiritus degere posset in tenebris; sed in luce et laetitia decentem sibi habitum possidebat: de qua re neminem puto contradicturum." Si vero simul cum corporali creatura creati fuerunt Angeli, quaestio locum potest habere, eo tamen modo quo Angelis competit esse in loco, de quo infra dicetur. Et secundum hoc quidam dixerunt, in quodam supremo caelo splendido Angelos esse creatos, quod empyreum nominant, idest igneum, non ab ardore sed a splendore: et de hoc caelo Strabus et Beda exponunt quod dicitur in principio Gen.: "Creavit Deus caelum et terram:", quamvis haec expositio ab Augustino et aliis antiquioribus Ecclesiae Doctoribus non tangatur.

CAPUT XVIII.

De conditione substantiarum spiritualium.

Deinde considerare oportet quid de conditione spiritualium substantiarum secundum catholicam doctrinam sit tenendum.

Fuerunt igitur quidam qui Angelos putaverunt corporeos esse, vel ex materia et forma esse compositos: quod quidem sensisse videtur Origenes in 1 Periarchon, ubi dicit: "Solius Dei, idest Patris, et Filii et Spiritus sancti naturae id proprium est ut sine materiali substantia, et absque ulla corporea adjectionis societate intelligatur existere." Et ad hoc quidem quod Angelos corporeos ponerent, movere potuerunt eos verba Scripturae quae attribuunt quaedam corporalia Angelis, cum eos etiam in loco corporali esse pronuntiet: secundum illud Matthaei 18, 10: "Angeli eorum in caelis semper vident faciem Patris mei, qui in caelis est:", et eos moveri asserat, secundum illud Isaiae 6, 6: "Volavit ad me unus de Seraphim:", et quod est amplius, figura corporali describat, sicut ibidem de Seraphim dicitur: "Sex alae uni, et sex alae alteri:", et de Gabriele dicitur Danielis 10, 5: "Ecce vir unus vestitus lineis, et renes ejus accincti auro obrizo; et corpus ejus quasi chry-

solitus:", et adhuc alia ad organum corporis pertinentia ibidem subduntur.

Quidam autem de Angelis dicunt, quod etsi non sint corporei, est tamen in eis compositio formae et materiae: quod ex quibus rationibus accipere velint, supra jam diximus.

Sed quod Angeli incorporei sint, canonicae Scripturae auctoritate probatur, quae eos spiritus nominat. Dicitur enim in Psalm. 103, 4: "Qui facit Angelos suos spiritus:", et Apostolus dicit ad Hebraeos 1, 14, de Angelis loquens: "Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos qui hereditatem capiunt salutis." Consuevit autem Scriptura nomine spiritus aliquid incorporeum designare, secundum illud Joan. 4, 24: "Spiritus est Deus; et eos qui adorant eum, in spiritu et veritate oportet adorare:", et Isai. 31, 3: "Aegyptus homo, et non Deus: et equi eorum caro, et non spiritus." Sic igitur consequens est, secundum sacrae Scripturae sententiam, Angelos incorporeos esse. Si quis autem diligenter velit verba sacrae Scripturae inspicere, ex eisdem accipere poterit eos immateriales esse: nominat enim eos sacra Scriptura quasdam virtutes. Dicitur enim in Psalm. 102, 20: "Benedicite Domino omnes Angeli ejus:", et postea subditur: "Benedicite Domino omnes virtutes ejus:", et Matth. 24, 29, dicitur: "Virtutes caelorum movebuntur:", quod de sanctis Angelis omnes Doctores exponunt. Quod autem materiale est, non est virtus, sed habet virtutem; sicut non est essentia, sed habens essentiam; sequitur enim essentiam virtus. Non est autem homo sua humanitas, neque sua essentia, neque sua virtus. Similiter autem neque aliquid aliud ex materia et forma compositum. Relinquitur igitur secundum intentionem Scripturae Angelos immateriales esse. Utrumque autem horum expresse Dionysii verbis astruitur, qui in 4 cap. de div. Nom. de Angelis loquens dicit, quod "intellectuales substantiae ab universa corruptione, morte et materia mundae existunt, et sicut incorporeales et immateriales intelliguntur." In 1 etiam capite caelestis Hierarch. dicit, quod "divina dispositio immateriales Angelorum hierarchias materialibus figuris variis tradidit:", et in 2 cap. ejusdem libri quaerit, quare "sacros doctores ad corporalem formationem incorporalium," scilicet Angelorum, "venientes non figuraverunt ea pretiosissimis figuris, sed immaterialibus substantiis, et deformibus simplicitatibus terrenas figuras imposuerunt." Ex quibus patet omnibus hanc fuisse Dionysii sententiam quod Angeli sunt immateriales et simplices substantiae. Quod etiam ex hoc patet quod frequenter eos nominat caelestes intellectus, seu divinas mentes. Intellectus autem et mens aliquid incorporeum et immateriale est, ut Philosophus probat in 3 de Anima. Augustinus etiam in 11 super Gen. ad litteram dicit, quod "primo

die quo lux facta est, conditio spiritualis et intellectualis creaturae lucis appellatione intimatur, in qua natura intelliguntur omnes sancti Angeli atque Virtutes. „ Damascenus etiam dicit, quod Angelus est „ substantia intellectualis et incorporea. „ Sed dubium facit quod postea subdit: „ Incorporeus autem et immaterialis dicitur quantum ad nos: omne enim comparatum ad Deum, grossum et materiale invenitur. „ Quod ad hoc inducitur ut non aestimetur Angelus propter suam incorporeitatem et immaterialitatem divinam simplicitatem aequare. Corporales vero figurae seu formae quae in Scriptura sacra interdum Angelis attribuuntur, per quamdam similitudinem sunt intelligendae: quia, sicut dicit Dionysius in 1 cap. cael. Hierar.: „ non est possibile nostrae menti ad immaterialem illam sursum excitari caelestium hierarchiarum et imitationem et contemplationem, nisi secundum se materiali manu ductione utatur: „ sicut et de ipso Domino multa corporalia in Scripturis per quamdam similitudinem dicuntur: unde 15 cap. cael. Hierar. Dionysius exponit quid spirituale significetur in Angelis per omnes huiusmodi corporales figuras. Nec solum huiusmodi formas corporeas per similitudinem de Angelis asserit, sed dicit etiam ea quae pertinent ad affectionem sensitivi appetitus; ut per hoc detur intelligi, quod non solum Angeli non sunt corpora, sed etiam non sunt spiritus corporibus uniti, qui sensificando percipiant, ut sic in eis inveniuntur operationes animae sensitivae. Dicit enim in 2 cap. cael. Hier., quod „ furor irrationabilis ex passibili motu gignitur; sed in Angelis altero modo oportet irascibile intelligere, declarans, ut aestimo, virilem ipsorum rationabilitatem. „ Alia littera habet sic: „ Sed in Angelis furibundum demonstrat virilem ipsorum rationabilitatem. „ Et similiter dicit, quod concupiscentia in eis significat amorem divinum. Cui consonat id quod Augustinus dicit in 9 de civ. Dei, quod „ sancti Angeli sine ira puniunt quos accipiunt aeterna Dei lege puniendos; et miseris sine miseriae compassione subveniunt, periclitantibus, et eis quos diligunt, absque timore opitulantur; et tamen istarum nomina passionum consuetudo locutionis humanae etiam in eos usurpat propter quamdam operum similitudinem, non propter affectionum infirmitatem. „ Quod autem Angeli dicuntur esse in caelis, aut in aliquibus aliis corporalibus locis, non est intelligendum quod sint in eis corporali modo, scilicet per contactum dimensionis quantitatis; sed modo spirituali per quemdam contactum virtutis. Proprius autem locus Angelorum est spiritualis, secundum quod Dionysius dicit, 5 cap. de divinis Nominibus, quod „ supremae spirituales substantiae sunt in vestibulis Trinitatis collocatae; „ et Basilius dicit in 2 Hexameron, quod „ sunt in luce, et in laetitia spirituali habitant; „ et Gregorius Nyssenus (Nemesius) dicit in lib. de

Homine, quod „ intelligibilia in intelligibilibus locis sunt, aut in se ipsis aut in superjacentibus intelligibilibus. Cum igitur in corpore dicitur intellectuale aliquid localiter esse, non ut in loco corporeo dicitur esse sed ut in habitudine, et in eo quod adest, ut dicimus Deum esse in nobis; „ et post pauca subdit: „ Cum igitur in habitudine fuerit intelligibile aliquid vel loci alicujus, vel rei ut in loco existentis; abusive dicimus illic id esse propter actum ejus qui est illic, locum pro habitudine suscipientes. Cum enim deberemus dicere „ Illic agit, dicimus „ Illic est. „ Et hoc sequens Damascenus dixit, quod „ Angelus ubi operatur ibi est. „ Augustinus etiam 8 super Gen. ad litteram dicit, quod „ spiritus creator movet conditum spiritum per tempus sine loco; movet autem corpus per tempus et locum. „

Ex quibus omnibus datur intelligi substantias spirituales non esse in loco corporaliter, sed quodam modo spirituali. Et quia eodem modo competit alicui moveri in loco, et esse in loco; per consequens neque corporali modo Angeli moventur in loco; sed motus eorum qui exprimitur in Scripturis, si referatur ad locum corporealem, est accipiendus secundum successionem virtualis contactus ad loca diversa; vel est accipiendus secundum mysticam intelligentiam, sicut Dionysius, 4 cap. de divin. Nomin. dicit, quod „ moveri dicuntur divinae mentes circulariter quidem unitae illuminationibus pulchri et boni; in directum autem quando procedunt ad subjectorum providentiam; oblique vero quando procedentes minus habentibus ingressibiliter manent circa Deum. „

Ex his igitur manifestum est quid circa conditionem spiritualium substantiarum, idest Angelorum, sacri Doctores traderint, asserentes eos incorporeos et immateriales esse.

CAPUT XIX.

De distinctione spirituum Angelorum.

Oportet autem consequenter considerare quid secundum sacram doctrinam de distinctione spirituum sit tenendum: ubi et primum considerandum occurrit de differentia bonorum et malorum. Est enim apud multos receptum, esse quosdam spiritus bonos, quosdam vero malos: quod auctoritate sacrae Scripturae comprobatur. De bonis enim spiritibus dicitur Hebr. 1, 14: „ Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi, propter eos qui haereditatem capiunt salutis. „ De malis autem spiritibus dicitur, Matthaei 12, 43: „ Cum immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida quaerens requiem,